

Del Instituto.

---

S. A. T. G.



# D. FRANCISCUS ANTONIUS

Lorenzana, Dei, & Sanctae Sedis Apostolicae Gratia Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas, Cancellarius Major Castellae, Praelatus Eques insignitus Magna Cruce Regij, singularisque Ordinis Hispani Caroli III. Regique à Consiliis &c.

Omnibus, & singulis PAROCHIS, PRESBITERIS,

ORATORIBVS, & MISSIONARIIS hujus nostrae

Archi-Dioeceseos : Salutem in

DOMINO NOSTRO

JESU - CHRISTO.

**A**POSTOLICAE Missionis munus non ab aliis rectius geritur quam ab Apostolorum Succesoribus, aut eorum vestigia sectantibus, nam Angeli, hoc est à Deo missi, denominantur, ut pacem praeferentes Evangelium anuntient, animos in concordiam redigant, & Domini Nostri JESU-CHRISTI Magisterium aemulantes tam vita quam Doctrina clarescant, & omnibus praeluceant.

Episcopi, ut huic oneri, & custodiae Gregis sibi commissi sedulò incumbant, aliorum levamine, & auxilio indigent: Dominus enim vineae Operariis horis diei conductis eam locavit: Episcopi, & Parochi oestus, & diei pondus sustinere coguntur, alij horum coadjutores nullomodo valent se excusare, nec segnitèr exercere, nec quacumque necessitate humeros ab oneris gestatione declinare.

Qui ex Prophetarum Israël numero non sunt, nullatenus Angelorum ministerio se admisceant, & qui ignorantia aut

seculi caligine sunt involuti videntibus non adnumerentur, quia Dominus suorum Prophetarum ore solum loquitur, & qui se videntes jactant, nec Divina Arcana intelligent, nec abscondita videbunt.

Praedicatores districtè Dominus judicabit si nubes sine Doctrinae aqua, & Arbores autumnales absque operum fructibus repererit: si confussiones suas adversus proximum despumantes semetipsos velut Maris fluctus extollentes, humanae laudis honorem ambientes, virtutes suas, seu potius vitia praedicent, laudibus inhient, & tuba Evangelica non conclament.

Alij quasi oestro, & furore arrepti vociferantur, strepunt, ambonem pedibus protundunt, manus in coelum elevant, nec Christianae Rethoricae regulis adstricti, nec nostri lenitatem Salvatoris imitantes sermonem quadam barbarie, asperaque voce incipiunt, & prosequuntur, quin sat sit eos admonuisse Oratoriam Artem modum in elocutione, gestu, affectionibus, figuris, & denique tam in Corporis ornatu, & vocis modulatione, quam in clausularum nexu, & Ordine praescribere.

Ut Christiani Oratores efformentur prius Rethoricae Regulas Quintiliani, Ciceronis, Ludovici Granatensis, seu Valentini, Zessenae, aut alterius selecti Authoris debent addiscere, ne inscitia sua Spiritus Sancti Cathedram conspurcent. Plagium vitantes, è Sacrae Scripturae, & ipsis S. S. Patrum tam Graecorum quam Latinorum Basilij scilicet, Chrisostomi, Chrysologi, Augustini, Gregorij, Leonis, Cipriani, & aliorum fontibus potum spiritualem fidelibus propinandum hauriant: Proverbiorum, Ecclesiastès, Ecclesiastici, & Sapientiae libros veram Ethicem, Politices praecepta, & semina illa à Deo nostris mentibus insita altius, clarius, & nitidius quam Etnicorum libros exprimentes evolvant, nam qui turbidos rivulos accurrerit, pro lacte virus, pro melle acorem, & pro cibo salutaris mortiferam escam Populis praebebit.

Abhorret Ecclesia benignissima Mater illam effaeratam consuetudinem quorundam Missionariorum qui intempestae noctis silentio Vrbes aggredientes, incolas saltu expugnantes, Domum Dei castrorum more strepitu, & clamoribus ingeminantes saggitas versus domus incolarum jaciunt, personas indiscriminatim loedunt, & cuncta horrore replentes Virgines pavidas,

das, squalidasque reddunt, & aliquoties nuptas abortivos foetus emitere compellunt.

Facta non à vetulis enarrata, sed quae palam, & coram multitudine hocce nostro saeculo acciderunt dedecet referre: nec aliter succesus apparatus quorundam Missionariorum respondere poterant; vocis enim elatio, manuum velut tornatiliū inflexio, Imaginis Christi Crucifixi à dextera ad sinistram praepropera evolutio, & alia hujusmodi omnium animum commovent, & licet tepidas lacrymas eliciant, corda tamen in sua duritie permanent; & si aliquantulum pectora emoliantur, intimus dolor saepè servilem timorem non praetergreditur: timent revera Peccatores ita gravitè percussi, sed non diligunt, nec illo quidem amore qui ad nostram requiritur reconciliationem, Deum prosequi incipiunt.

Nec in medium afferant Ludovici Bertrandi, Vincentij Ferrerij, Venerabilis Posadas, & aliorum Apostolicorum Virorum exemplum: hi etenim Clarissimi Viri Rethoricae Christianae regulas optimè percalebant, & ad animos commovendos aptabant: primum suavitè, postea fortitè; primò auditorum voluntatem demulcentes, mox peccatores redarguendo vitia severè insectabantur, eosque ad detestationem ipsorum hortantes, Gehennae timore, Gratiae pulchritudine, & spe gloriae leni motu ad Dei amorem, & veram contritionem ducebant.

Primis Ecclesiae seculis Episcopi, ut Fidelium Magistri, eos Mysteriorum, & Evangelij scientia imbuebant, in Cathedra sedentes, non hinc inde discurrentes, Sacram Scripturam suis in Homiliis propatulo exponebant per anni decursum, ut cuique videre fas est in SS. Basilij, Chrisostomi, Augustini, & aliorum Patrum Operibus, quorum lectione Ecclesia in Divino Officio utitur.

SS. Patrum opera sedulo perpendat Lector, & perscrutetur, nullasque in eis recentiorum exclamationes, puerilia ratiocinia, aut terriculamenta, sed simplicem sacri Textus explanationem, eloquentem, perpolitum, & ornatum Sermone, vividamque vitiorum objurgationem tantum reperiet, ita ut Oratoris Charitas resplendeat, & iniquitas, non peccator odio habeatur.

Grave scelus admittunt Christiani Oratores qui peccato-

rum in Poenitentiae Sacramento detectorum conscij, etiam indirectè coram multitudine ea increpant, quando vel minima suspicio potest suboriri ne Peccatores in particulari dignoscantur, aut Audientes levi conjectura sibi persuadeant Evangelicum Oratorem adversus Judices, Superiores Potestates aut quendam suorum concivium sermonem dirigere, hoc etenim casu satius est tacere quam loqui, statim namque effraenata Populi multitudo obedientiae jugum excutere intendit, & adversus Praesides insurgit.

Hujusmodi exempla quibus saeculorum series est intertexta possent enumerari: si sutoris, coriarij aut alterius infimae plebis voce universa Civitas est commota, quanto majorem vim vox Evangelici Praedicatoris obtinebit? Quot acuet stimulos, quot augebit vires, quot flammam excitabit vel minimum verbum Evangelici Praeconis omissiones Judicum, & Praelatorum negligentias detegentis?

Revera Joannes Chrisostomus vitia suo saeculo dominantia acerrimè increpabat, sed ab omnibus rejicitur, ut tanti Authoris foetus Homilia in qua de Eudoxia Imperatrice expressè loquitur: Basilius etiam coram Valente Hoereticorum fautore pluries sermonem habuit, sed nusquam famam ejus laesisse perlegitur.

Aptissima dicendi copia Missionarijs Apostolicis superest si Divina Mysteria, & Sacramenta Fideles edoceant, Decalogi praeceptis instruant, si Evangelij parabolas clarè, & nitidè exponentes ex earum nucleo salubrem Doctrinam, Evangelica consilia, & prudentiam rebus gerendis, virtutibus sectandis, fugiendisque vitijs educant.

Perspiciant quaeso qua lenitate, & mansuetudine SSmus. Dominus Noster Pius Papa VI. nostri labentis saeculi vitia sua dissertissima Epistola insequatur: qua efficaci oratione Episcopos, & Apostolicos Operarios adhortetur ut illam nimiae subtilitatis pruriginem, & vanam quorundam sciorum cupidinem cohibeant, systemata adversus Catholicam Religionem insurgentia proterant, & in firma Fidei-petra stabiliti eò praecipuè incumbant ut Fideles sicut acies castrorum ordinata adversus Inferorum Phalangas muro veluti inexpugnabili se opponant.

Hoeretici prioribus Ecclesiae saeculis insurgentes perfacile

lè à veris Christicolis dignoscebantur, Heterodoxi vero nostri seculi ovina pelle contecti Domini gregem depascere conantur, & quasi vulpeculae ignem in caudis portantes segetem Dominicam comburere intendunt.

Sub novorum larva systematum jam Mundum casu fuisse factum falso asserunt; jam corporis vitales spiritus cum anima spirituali à Deo creata, & corpori infusa confundunt: jam coelorum, & Planetarum motum, ut inanem inventiunculam ostendunt, ut Angelos bonos coeli motores, & malos nebularum, & tempestatum commotores penitus rejiciant: jam denique ut conscientiae stimulos obdormire faciant eorum libros pura materie animae passim respergunt, eam immortalitate denudantes, ut cum insipientibus dicere possint: *Non est Deus, edamus, & bibamus, cras enim moriemur*, jumentis insipientibus similes facti potentissimam Dei virtutem, animae nobilitatem, & Creatoris potentiam non agnoscentes.

Ministri Altaris justitiae lorica, fortitudinis que galea induti telis ipsorum malignantium eos confodiant: Oratores Evangelici ostendant Deum non solum Gratiae, sed etiam Naturae Authorem esse: interrogent cum S. Job, & Davide Propheeta; Quis Philosophorum stellarum multitudinem poterit enumerare, & omnibus eis nomina vocare? Quis eorum mensus est terrae spatium, aut Mari terminos posuit, aut congregat sicut in utre aquas ejus? Quis extendit coelos sicut pellem, & tegit aquis superiora ejus?

Suam Homines agnoscant Dignitatem: eorum etenim pedibus omnia Deus subiecit: ipsi universis terrae bestiis, & coeli volatilibus praesunt: ipsi mansuescere faciunt Leones, ipsi Brutis animalibus dominantur, ipsi illudunt mari, sive Draconi quem Deus formavit, & omnia eis obediunt; Quis igitur tam sublimem, & universalem potestatem Hominibus tribuit? Deus ipse absdubio quem Coeli, & Terrae credimus conditorem, visibilium, & invisibilium Creaturarum, materialis, & spiritualis substantiae creatorem non ex alio quam ex nihilo, nec indigentem alio Prototypo quam semetipso omnis pulchritudinis origine.

Quodnam ex versutioribus animalibus Mare transgreditur Navibus, & magnete utitur? Quodnam in bellis suis tot ar-

morum genera, bellici instrumenti rotas, inflammatum pulverem, & tantas ingeniorum machinas adhibet? Si haec etiam lypis oculis patefiunt, & qua coecitate Homines in bruta, animam rationalem, & spiritualem in materialem, & tantum sensibilem transmutant? coeci sunt, & coecorum Duces, nam coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Existimaverunt iniquè quod Deus est eorum similis: arguet eos, & statuet contra faciem eorum: David eos Domino benedicere Psalmo centesimo tertio edocet, ejus mirabilia enarrans, & Moyses generationem pravam, & perversam ita coarguit: *Numquid Deus non ipse est Pater tuus qui possedit te, & fecit, & creavit te?*

Improbi Sententias suas sermonibus imperitis involventes, interrogationibus Domini in Cap. 38. Job respondere non valentes, rubore suffusi ipsi se redarguant, in cinere, & favilla poenitentiam agant, & dum Sac. Scripturae lumini oculos ocludunt, Hominem, & ejus systemata nunquam in eodem statu permanere praevideant, immò usque ad Mundi finem eorum sententias vicissim huc, & illuc citò transmigrare, mutari, decidere, & oblivioni tradi, verba autem Domini non praeterire, quamvis reluctantes fateantur.

Veri Domini cultores, & constantes Christi Athletae à fide Catholica nunquam deviantes eandem Petri, & Apostolorum fidem retinent: credunt ut credebant Angli ante miserandam Henrici Octavi discissionem: credunt ut credebant Graeci ante Phocij schisma: Christo invisibili Ecclesiae Capiti, & ejus in terris Vicario obediunt ut obediebant Suaevis, Dani, Batavi, & alij Protestantes ante putidi Lutheri tempora: nusquam disciderunt, nec inconsutilem Ecclesiae tunicam sortiti sunt, & si quid temporalis jurgij inter Potestates, aut dissidij inter Reges Catholicos, & Summum Pontificem est subortum, nec Religionis limites transilire, nec se obedientia subtrahere sunt ausi.

Hoeretici, eorumque mimi tam spirituali quam temporali Monarchiae sunt infesti; tantum eis displicet caput in Fidei causis, quantum in status negotijs, tam in cultu, quam in politica, legibus etenim Ecclesiasticis, & Regijs esse solutos cupiunt, ut facilius suis possint voluptatibus indulgere: Dei Pro-



videntiam pernegant, ut solum Veneri, Mercurio, & Plutoni thus adhibeant: animae immortalitatem diffitentur, ut tutius carnis desiderijs dedantur: Inferni memoriam abhorrent, ut poenae timorem securius excutiant: animae spiritum velut solum vitalem, seu potus liquores citò evanescere contendunt, ut praesentis vitae commodis inebriati vitia enutrient, & sensus oblectent: Purgatorium velut Concionatorum inventum irident, ne se igne purgari pertimescant, aut aliter quam Medicos, & Chirurgos eos mederi patiantur: Poenitentiae Sacramentum, & ferè omnia à Christo Domino instituta explodunt, ut scelerum suorum conscios non habentes nullam aliam melam quam cibos lautiores, & potum salubriorem appetant.

Proh dolor! Arianos, Sabelianos, Eutichianos, & alios hoereticos abditiora Fidei Mysteria negantes non credo tam reos fuisse divinae, & humanae laesae Majestatis quam Epicuri, & Diagorae, sectatores; hi etenim adversus Deum, adversus animae suae honorem, adversus sui generis humani nobilitatem, & adversus omnia mundi elementa quae eorum Dominatorem proclamant facie ad faciem pugnare conantur.

Causa prima non desijt esse quia secundas creavit, & ordinavit: Causa Causarum nomenclaturam, & virtutem non amisit, prima earum ex nihilo creatione, dispositione, & Decreto ut unumquodque juxta genus suum produceret. Creator fuit, est, & erit idem qui ab aeterno, & usque in aeternum erit: nec illud supremum, & eminens Dominium super omnes Creaturas à se conditas dimisit, quod habuit dum eas condidit; & si in terrae Regibus, & Supremis Potestatibus, dum Praedia Vasallis donant, seu eos honoribus cumulant, Politici non diffitentur illud supremum Dominium ad bonum publicum quibusdam in casibus utendum; quonam modo Deo Regum Regi, & Dominantium Domino auferre nituntur? Si Populis, & Regnis est quaedam ordinaria Potestas, ut rebus suis ordine Legibus stabilito consulant, & Potestatibus Superioribus extraordinaria remanet facultas mutandi, coercendi, benefaciendi, & ipsas Leges revocandi, & quonam superbiae fastu Deo supremo Legislatore potestatem creationis pro una vice concedunt, & ultrà eidem summo Authori volunt auferre, seu minuere jus antevertendi effectus, causas secundas suspendendi, & eas ad nihilum redigendi?

Sciunt Gentes quoniam Homines sunt : sciunt Philosophi sapientiam in excelso habitare : sciunt Fisici naturam à Deo absque suae Potestatis diminutione , aut restrictione fuisse conditam : & postremò sciunt esse in coelo , & in terris Judicem Supremum , qui eos conterat , irrideat , & ad nihilum redigat.

Hisce , & alijs Ethices Christianae praeceptis Evangelici Oratores Fideles imbuere debent , & ad haec Fidei elementa assiduò invitare jam illis Symboli verbis *Vitam aeternam* : jam illo Fidei articulo : *Deum esse Creatorem* : jam alio : *Hominem à Deo corpus , & animam accepisse* : jam bonis in gratia perseverantibus gloriae proemium , & aeternum supplicium malis redditurum ; & tandem omnia Sacramenta licet visibilibus materia , & forma constare planè videamus , aliud invisibile scilicet gratiam significare , & conferre.

Eò tendat Christiani Oratoris propositum , ut animas lucretur , non humanum honorem ambiat : Sacram Scripturam perlegat , ut in cibum alendae Familiae convertat , & dum Dominus talenta repetat , non servos pigros , fatuas Virgines , murmurantes vineae Operarios , sed alacres , virtutum lampadibus ornatos , fideles excubitores , & hostium expugnatores inveniat.

Hucusque à Nobis superius relata verbi Dei Concionatores memoriae commendent , animis inserant , utque mens nostra clarius eis innotescat sequentibus complectimur admonitionibus.

- I. Prae oculis semper Orator Christianus habeat illa Proverb: verba Cap. 16. *Favus mellis composita verba , dulcedo animae , & sanitas ossium : qui sapiens est corde appellabitur prudens , & qui dulcis eloquio , majora reperiet.*
- II. Quatuor praecipuas Oratoris partes inventionem , dispositionem , elocutionem , & pronuntiationem , seu actionem à Rethoribus discat , ut aptiores locos ad probandi , & amplificandi materiam , insignes , & preclaras Sententias instituto suo accomodatas inveniat.
- III. Ut rectè eloqui valeat commodè inventa , & animi sui sensus explicet , verborum vi ita efferat ut quidquid ipse conceperit in auditorum animos loquendo transfundat , & non embrionem sed legitimum foetum suis partibus ornatum rectè disponat.

- IV. Ut distinctè pronuntiet, aptissimè, & appositè debet vocem, gestum, & vultum rebus ipsis quas dicit accomodare, & quadam societate copulari.
- V. Orationis, seu Concionis ornatum ex figuris, & Rethorum artificio desumere oportet, & Fabij Quintiliani institutiones assiduò rimari, ut sex Orationis partes videlicet Exordium, narratio, propositio, confirmatio, confutatio, & peroratio suis quaeque locis aptentur.
- VI. Sermo Christianorum coetui factus semper vacuus remanebit si ibi Jesu Nomen, & nostri Salvatoris, & Magistri Doctrinae expositio non sonet; & gravi poena plectentur qui Summorum Pontificum, & Episcoporum praeceptis obedire recusantes, Doctrinae Christianae simplicem, & claram explanationem tradere negligunt, cum populus non solum movendus, sed etiam aliquoties genere concionis Didascalico docendus sit.
- VII. In Spiritus Sancti Cathedra Concionatores Scholae voces, methaphisicas subtilitates comparisonem seu paritatem sanctorum cum Deo, vel prelationem Beatorum inter se prorsus debent effugere, sed ut boni Patres-familias parvulis panem frangere, lac Infantibus; & validioribus, adultisque cibum congruentem studeant praebere.
- VIII. Sacros Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastès, Sapientiae, & Ecclesiastici Libros memoritèr addiscant, assiduò perlegant, & ruminentur, eisque abundantius dicendi copia suppetet.
- IX. Cantica Canticorum Juvenes perrarò exponant, quia id non nisi gravioribus Viris, aetate proVectis, expertis, & in fide roboratis magis congruit.
- X. Sit D. Paulus Praedicatoribus exemplum, & Epistolarum ejus expositionem è clarioribus, & probatoribus Expositoribus desumant.
- XI. Oratoris Christiani finis sit juxta D. Paulum Deo qui nostra corda probat, & non hominibus placere, non in sermone adulationis, neque in occasione avaritiae, nec ab hominibus gloriam quaerere; Evangelium Dei tradere, & animam suam; nocte, ac die operari ne aliquem gravemus; sanctè, justè, & sine quaerela omnibus credentibus esse; & parvulorum simplicitatem, & veritatem cum nutricis tenero affectu, & solitudine conjungere.

- XII. Oratores Hispanicam Linguam optimè caleant, & ad id assequendum in V. F. Ludovici Granatensis, S. Theresiae, Ludovici de Leon, Joannis Palafoxij, & aliorum nostrae Hesperiae cultioris styli Authorum lectione frequentè versari magnoperè proderit.
- XIII. Concio nostra vernacula lingua habita oratione soluta debet fieri, nam Prossa est sermo liber, nullis numeris, consonantijs, Syllabarum metro, aut clausulis adstrictus; proprietas potius verborum Castellae Idiomatis quam quidam Symphoniae concentus est quaerenda: Sententiarum vis, & perspicuitas magis expetenda quam vocabulorum lusus: Concinnitas, aptitudo, ornatus, & elegantia Prossae potius in usu innatae, prioris vocis, & convenientis figurae, Tropi, & Rethoicae quam in exotica compositione, & acutissimis ratiocinijs consistit.
- XIV. Mithologia, seu inanium Deorum fabulis perrarò utantur, idque gravitate, & opportunitate qua D. Paulus egit, & alij SS. Patres Horatij versus, & Senecae sententias suis Homilijs intexuerunt.
- XV. Nusquam Pseudocronicis Flavij Dextri, Marci, Maximi, Luitprandi, Archipresbyteri Juliani Petri, vel alterius hujus furfuris impostorum commentis in Sacris concionibus utantur, ne praedicationis fructum apud veros Criticos amittant, sed tantum selectioribus notitijs apud Baronium, Natalem Alexandrum, Pagiolum, Florezium, & alios emunctioris naris viros ad comprobandum innitantur.
- XVI. Inferioris notae Historiographos, Oratores, & Expositores effugiant, & in libris eorum perlegendis tempus inutilitè non absumant; nemò enim cordatus vir saluti suae, & utilitati publicae consulens escam salubrem rejicit, & mortiferam seu parum salutarem amplectitur: nemò prudentia praeditus aquam, è luto, vel lacu haurit, & purum fontis originem spernit; nullusque sensatus Lector inanibus fabulis, ridiculis, & falsis narratiunculis imbui debet, optima Sac. Scripturae loca, SS. Patres, & melioris notae Scriptores rejiciens.
- XVII. Mortuorum Crania, horrida damnatorum spectra, & alia similia Populo ostendere Christianos Oratores non decet, quibus compertum est reprobatorum judicium nulli à Deo revelari, & ideo pietatis, & prudentiae limites transiliunt qui inter

audientes esse unum, duos, vel plures reprobos proferunt, eos per Ecclesiae ambitum quaerunt, & hisce similia efutientes, Dei Domum horrore, vocibus, & quaestuosis ejulatibus replent, corda contritione vacua relinquentes.

**XVIII.** Pari ratione se abstinere debent Missionarij, & Evangelici Oratores ab omni quod risum provocet, aut ludos pueriles redoleat, similiter à nocturna sermocinatione, quia non legimus Dominum solitum fuisse noctibus verba facere, aut Doctrinam in tenebris tradidisse; & quam plurima ex hoc oriri scandala docet experientia.

**XIX.** Feria sexta Majoris Hebdomadae, aliove die nullatenus liceat ad vivum referre Christi è cruce descensum factum à Clericis, vel Laicis Nicodemum, Josephum ab Arimathea, & pias Feminas representantibus, nec Jesu Nazareni ter in terram procidentis effigiem efferre, nam solum rudes possunt decipi illo oculto artificioli motu Ethnicorum theatri non sacris Catholicorum solemnitatibus apto

**XX.** Aspasmus seu defectio spiritus B. M. V. prae dolore in Passione dilectissimi Filij sui omninò rejicienda; stabat enim constans Mater dolorosa juxta Crucem lacrimosa, moerebat, sed non deficiebat ejus spiritus, dolebat sed intus omnia in corde suo tamquam humani generis remedia conferens oeterni Patris voluntati omninò subdita erat.

**XXI.** Profanas ethnici epitalamij, artisque amatoriae Auctoritates numquam adducant, nec SS. Patrum loca ad longum sermone latino referant, sed sat sit potiora, & congruentiora verba indicare, quia ut Oratoris dictis fidem adstantes adhibeant, integro Operis testimonio non indigent.

**XXII.** Privati Authores qui à pluribus respuuntur, vel non sunt in Ecclesia noti, rarò nominentur, neque SS. Patres, & Expositores nominibus allegoricis in Concilijs, & Bulis Apostolicis inusitatis indigentur, nec tanta familiaritate liceat Oratoribus Sanctorum fastis adscriptos alloqui absque praevia *Sancti*, *Beati*, aut *Venerabilis* prolatione, cui quidem equivalent elogia quibusdam SS. Patribus ab Ecclesia jure, meritòque applicita, veluti Chrisostomi, hoc est, Oris aurei, Chrisologi, Sermonis aurei, Doctoris Angelici, P. Seraphici, & alia jis similia.

**XXIII.** In concionibus jure, seu consuetudine in Ecclesiis certis die-

diebus assignatis coram Clero, & Senatu non liceat Sermonem ultra horae dimidium plus, minusve protrahere, ne Audientes publicis Officijs intentos, litibus aut Reipublicae negotijs expediendis adictos fastidiant, aut suo tempore fraudent: in alijs vero extraordinarijs Sermonibus, Misionis tempore, aut Quadragesimae Vespertinis non liceat ultra horam etiam cum Doctrinae expositione immorari; Patres namque, & Matres-familias filios suos domi lugentes, & moerentes retinent: latronum incursibus patent Civium domus diuturniore eorum absentia, & in unam Ecclesiam adunatione, & aliunde humani generis necessitatibus est subveniendum. Denique si Orator Auditoribus est gratus eos non fastidiat, si est ignarus eorum aures non frangat, sed quadam aviditate eos in crastinum diem alliciat.

**XXIV.** Oratores Evangelici Discipulis Christi se adnumerent, ut eorum mores sectentur; coadjutores censeantur Episcoporum ut jugum pastorale libenti animo portent: Operarij Domini quacumque diei hora vocati Apostolicae Missionis munus expleant, & sicut Angeli Ephesi, Thesalonicae, Philadelphiae, & Smirnae pacem Populis anunciantes, optimis consilijs plebes imbuentes omnes ad portum salutis recta mandatorum semita dirigant.

**XXV.** Ante Orationis compositionem, & ejus pronuntiationem Deum Oratores exorent ut eorum labia purificet: à Deo luminum Patre intelligendi acumen, addiscendi facilitatem, & copiosam dicendi gratiam impetrent ut benedictionem ejus accipere mereantur.


Ita Deus faxit, ita in Domino Oratores hortamur, & simul Benedictionem nostram eis impertimur. Toleti die IV. Mensis Julij anni MDCCLXXVI.

*Ita*  
*Fran. Archep. Toletanus*

*Com. D. mee, D. Archiep. mand.*

*Cus*  
*D. Fran. Perez Sedano*







FUNDAMENTO

de la ... de la ...

de la ... de la ...

34

CIENTÍFICO DEL IN

Núm II-1236

~~Botanto~~

~~Tabla~~

BIBLIOTECA